AD EXCELLENTISSIMUM ET REVERENDISSIMUM D.D. PHILIPPUM...

Giuseppe Polledro

AD
EXCELLENTISSIMUM ET REVERENDISSIMUM

D. D. PHILIPPUM ARTICO

EPISCOPUM ASTENSEM ET PRINCIPEM
GREGORII PAPÆ XVI PRÆLATUM DOMESTICUM
ET PONTIFICIO SOLIO ASSISTENTEM
EQUITEM S ET MILITARIS ORDINIS
SS MAURITII ET LAZARI
CUM PRIMUM SEDEM PONTIFICALEM INIVIT
OCTAVO KALENDAS APRILIS MDCCCXLI
ORATIO
HABITA A TH. ET J. U. D JOSEPHO POLLEDRO,
CANONICO THEOLOGO
ECCLESIÆ CATHEDRALIS ASTENSIS.

ANTISTES RELIGIOSISSIME

Quod a Majoribus institutum est, et res ipsa postulat, ut accedentibus ad hanc sedem suam Sanctissimis Episcopis, delectus ex hoc amplissimo ordine, Ecclesiae hujus venerationis erga eos sensa, interpres exprimeret, id mihi demandatum fuisse hodierna die, qua tu Pontifex Excellentissime et Reverendissime Clero, Magistratibus, et populo Astensi universo tantam praebes laetitiae caussam, non mediocrem capiebam animo voluptatem Qui enim nuper Amatoris Lobetti decessoris tui, viri desideratissimi mortem acerbam lamentando, moerentis hujus Ecclesiae nomine, pastorem optimum in illius vicem a Deo precatus sum, hodie, cum rem votis tam feliciter cessisse Ecclesia haec ipsa vehementer laetatur, nihil mihi gratius poterat contingere, quam gaudium ex adventu tuo conceptum, aliqua tibi ratione etiam verbis significare. Quae res eo mihi

jucundior, quod illi precationi D. O. M. suo numine adfuisse visus est. Accepimus enim tunc ab Augustissimo Rege hanc tibi provinciam fuisse designatam, cum vix justis Antistiti optimo persolutis, animus noster, ipsa doloris significatione aliquantisper levatus, spe inciperet recreari futurum, ut aeque bonus pastor praereptum amantissimum parentem exciperet.

Hoc porro auspicio maxime confirmato iis, quae de Te fama ad nos detulit, cuncti ordines Civitatis et plebs universa laetabundi tibi, honoris caussa, obviam prodiere: cunctorumque, quos convenisse vides Te tam cupide intuentium et admirantium ora satis declarant, de tuo adventu nullum reperiri hilaritatis expertem. Ad omnes namque tua, eo communis patris, salus, auctoritas, sanctitas pertinet, quos hoc religio germana consociat; quemque idcirco sibi sacrorum Antistitem, magistrum in fide, interpretem ad Deum constitutum vident, eumdem, et vitae integritate spectatum, et verbo potentem, et pietate insignem esse gaudent.

Te itaque in primis Senatus hic tuus, Te ordo alter Canonicorum cunctusque clerus, Te Optimates, et populus universus ovantes novum Pontificem salutant; votaumque compotes suorum laeti sinu complectentes suo, quo gaudium sit plenius, a me postulant, ut de Te sibi verba faciam. Quod

ego quidem libentissime, etsi vereor, ne laudum tuarum amplitudo orationis meae inopia minuatur. Attamen quoniam in tanta affectuum vehementia et sinceritate, non tam dicentis ingenium attenditur, quam rerum ipsarum dignitas, fidenter opus aggredior. Qui porro Pastoris vestri egregias dotes jam fama didicistis Auditores optimi, dicentem sic velitis attendere, ut si plurima ex ejus laudibus non attigero, vel non satis pro dignitate exornavero, id nimis temporis angustiis et nimiae earum magnitudini tribuendum putetis. Te vero Pontifice piissime rogo, ut taedium, quod modestiae tuae, hoc qualecumque virtutum tuarum praeconium allaturum est, praegrandi Ecclesiae tuae erga Te amori velis condonare.

Primo igitur dicam de solertia, qua ingenium acerrimum exercere PHILIPPUS instituit. Experrecta porro ejus indoles, aetatis rationem antevertit. Nam, quo tempore caeteri pueri vix primis literarum rudimentis imbuuntur, ipse non modo spem, verum etiam fructum dulcissimum patrio municipio gustandum praebuit. Adhuc enim puerulus adeo jam ingenio valuit, ut concionem in Deiparae honorem, frequentissimo populo admirante, habuerit: tantaque jam tunc fuit in puero dicendi elegantia, ut graviores viri, qui aderant eum, qualis nunc est, oratorem eloquentissimum

futurum pronunciaverint. Inter hos clarissimus vir tunc Cenetensis Episcopus, ingenii docilitate pueruli captus, cum vidisset ad dicendi munus naturae quodam prope habitu ferri, in Ecclesiae spem educare studuit. Saepius itaque tenello in animo instillavit: oratorem non esse eum, qui unice deligendis vocalis, iisque studiose conquirendis, quibus auditorum aures irretiantur, sit intentus; sed hoc verbum in illo uno esse ponendum, qui assidua exercitatione multis comparatis literis, aptus sit graviter et copiose, quod in unaquaque re ad persuadendum sit accomodatius, disserere. Oratorem vero christianum neminem dici posse, nisi qui insuper Scripturas, Patres, Concilia, Ecclesiaeque acta universa penitus penitusque perspecta habuerit. Haec adolescentulus avide arripuit, et alte in mente defixit. Quare illa, quae dixi sacri oratoris instrumenta noctes diesque versare, inque latinarum literarum monumenta, non secus ac recentiorum praeclariorum scripta incumbere non destitit. Hisce vero severioribus disciplinis, in quibus tam egregiam navabat operam, ea qua praeditus mentis acie, non leve ornamentum putavit accedere ex literis, quas vocant humaniores. Hinc quantum ceteris adolescentibus concedebatur temporis ad honestum solatium, et requiem animi, tantum sibi ipse sumebat ad ea studia excolenda, quae etsi homini

rebus divinis addicto omnino necessaria non sunt, tamen et animum expoliunt, et, si a gravioribus non avocent, ingenium non injucundo exercent.

Ita naviter traducta adolescentia, qui se totum Christo, et Religionis incremento dicaverat protinus intellexit, non ita se debere in literis abdere, ut unde delectabatur quam maxime, nihil inde ad communem utilitatem proferret, sed in id sibi esse enitendum, ut doctrinarum, quas congesserat fructus, ad quam plurimos fieri posset perveniret. Hinc licet, vix sacerdos factus est, Seminarii Cenetensis alumnis sacras disciplinas, dein eloquentiae tum latinae, tum vulgaris praecepta tradendi munus ipsi mandatum fuisset, moxque in Canonicorum Cenetensium ordinem ob spectata merita cooptatus, Canonici doctoris sacris literis interpretandis officio, summa cum popularium utilitate et laude fungeretur, nimis tamen adhuc ardenti animo angusta palaestra videbatur.

Ad munus itaque vere apostolicum se contulit, in quo persequendo, nescio utrum majorem diligentiam, an majorem adhibuerit animi sinceritatem. In PHILIPPO quippe oratore potissimum laudatur, quod in dicendo, eloquii castitatem, stili elegantem concinnitatem, imaginum aptitudinem, quibus oratio splendore literario plurimum nitet, ita cum mira quadam simplicitate, et evidentia componeret, ut indocti perinde se cultiores aeque

sententiam adsequerentur: dicentis vero ratio, ita suavi quodam charismate tota perfunderetur, ut dum animum unice de audientium utilitate sollicitum proderet, auditores ipsos adeo commoveret, ut saepius discedentes eum mente sua cogitarent non quomodo orator placuisset, sed quam vehementer, eo audito, displicerent ipsi sibi. Oh praeclaram laudem! Oh pulcherrimum laboris praemium! quod si omnes, qui dicere aggrediuntur praecipue spectarent, non tam saepe labores vacuos, operisque jacturam dolerent.

Hinc Philippum gloria, quam non consectatus fuerat, plurima consecuta sponte sua est. Tanta namque a superioris Italiae civitatibus, quae primae eum audierant, fama celebrabatur, ut statim in urbem totius Imperii principem, coram Caesaris majestate ad dicendum fuerit accitus: eumque integram Quadragesimam auditum, admiratumque, Vindobonensium perpolitiores qui italico delectantur idiomate, iterum accersiverint. Quid Roma artium et literarum altrix studiosissima? Quae tot praeclarissimorum Sedes est oratorum et fuit, cum audisset semel, famam hominis ingenio longe superari testata est: dignum quippe duxit, ut in Basilica urbis maxima, verba ejus a Summo Pontifice, amplissimoque totius Ecclesiae ordine audirentur. Nuper vero Taurinates nostri impense coluerunt, et Carolus Albertus Rex,

qui fere quotidie audiebat, insigni dulato honore, quanti eum faceret significavit.

Nec mirum, Auditores, quod ejus verba populos moribus et ingenio tam diversos, aeque commovere potuerint: non enim, ut plerumque fieri solet, paratas antea sacras conciones, quibus ex. gr. populorum procliviores ad licentiam mores et petulantiora ingenia objurgavisset, easdem mitioribus et simplicioribus proposuisset: sed ita erat unusquaeque studio et diligentia comparata, et ad uniusvis regionis mores et adjuncta accomodata, ut nec magis apta potuisset inveniri. Hanc porro miram dicendi copiam hauriebat ex illo veluti promptuario, quod adolescens confecit ex cumulatis Scripturarum, Patrum, optimorumque Scriptorum sententiis, quarum assidua meditatione ita intellectum instruxit, ut de quaqua re comparatus sit veluti extempore dicere.

Jam vero, Auditores, si verbo Evangelico tamquam fermento Christi Ecclesia coaluit, et in dies aucta conservatur, quid anne bonarum Astensi Ecclesiae sperandum est, cui Deus dedit Pastorem, quem fecit verbi sui ministrum disertissimum? Neque enim gregem suum sine verbi pasculo relinquet, qui tot peragratis regionibus, tot sudoribus conatus est, oves non suas errantes reducere ad ovile. Audiemus, audiemus solemniaribus diebus gaudia, quae Religio animis infert, voce

sua inflammantem; explebitur desiderium nostrum voce paterna: nos enim non attinget quemadmodum ceteros transitorie, ac veluti commodata, sed vere nostra, Patris ad filios carissimos. Age Pontifex piissime, et quoticscumque vox tua in hoc Templo personuerit, filii sui veluti oves ad pastoris vocem tota ea urbe et viciniis accurrent; qua late patent aedes amplae auditoribus implebuntur, exque ore tuo pendentes verba salutis avide ebibent; duces quo voles.

Verum, Auditores, qui tam strenue et sapienter, arduis susceptis itineribus, aeternae proximorum saluti studebat, idem dimidiatum tantum opus se fecisse arbitrabatur, nisi erga Patriam, quam peramanter cupiebat, caritatis suae testimonium reliquisset. Qui igitur se, suaque omnia Religionis bono devoverat, etiam terrena emolumenta vel labore parta, vel Principum liberalitate accepta, in Patriae utilitatem unice derivanda, conflaverat. Circumspicienti porro quo, majori cum foenore possent collocari, statim se se exhibuerunt pueri illi, qui per urbis vias stipem emendicando, transeuntes obsident. Hi nimirum saepe solertia quadam, se plurime ingenii spe commendant; extorquerentque semper optatum obolum, ni contraheretur saepissime manus timore, ne dum studemus praesentem levare miseriam, venenum cum stipe ingeramus, quo vis illa

animi, quae ad societatis communis decus educari oporteret, torpescat ignavia, vel quod pejus est, in nequitiam dilabatur. Sensere malum cordati quique apud cultiores gentes; qui propterea manum admoventes operi, qua scriptis excellenti providentia refertis, qua collatis consiliis et pecunia hanc, dixerim, societatis scabiem mederi, ac penitus extirpare conati sunt.

Verum, quod illi vel praedivites, qua superabant praesto fuerunt, vel voce tenus ceteros impellere tentarunt, Hic, solus, quamdiu non fuit facultas, quod pio versabat animo tacuit; at vix habuit quod proferret, id hilari animo, non operis magnitudine, non ingenti difficultate deterritus, nihil cunctatus promsit: aedes in Patria aperuit in quibus pueri parentibus orbati ac pene derelicti, ad societatis universae bonum, iis disciplinis, ad quas proclives essent instituerentur. Hoc, hoc sibi proposuerat praemium tot laboribus, tot vigiliis, ut si aliquando oratoria praestitisset arte, cum veritates christianas alte auditorum animis insculperet, tum emolumentum inde deductum ad Patriae decus, et popularium utilitatem conferret. Oh rem aeterna laude dignam! Oh exemplum, quod utinam singulae Civitates imitarentur!

Hinc jam conjicite, Auditores, quantus hujus amor erga hanc Ecclesiam suam futurus sit, quem

tanta in Patriam caritas accendit. Si enim adeo potuit religio in PHILIPPI animis, ut tam vehementi studio ferretur in eos, cum quibus terreus tantum necessitudine conjungebatur, quid non in nos, qui caelesti, firmissimo filiorum cum ipso nexu devincimur? Hujus rei, non dubium argumentum esse puto ca solicitudo, qua ad nos properare studuit: erat namque in alma urbe, fruebatur coeli aequa temperie eo anni spatio, quo iter per ardsos mastes aggredi non tam facile licet; cum GREGORIUS P. M. familiaritate sua honestatam carum habebat: et tamen, cum his omnibus non mediocriter delectaretur, cum Pontificem summopere veneraretur, a quo honorabatur, recordatio Sponsae hujus suae eum quieto animo esse non sinebat. Quapropter expeditis quantocius negotiis, obtenta GREGORII venia et benedictione, iter arripuit. Verum quorsum? Vis ne illa, quae tantisper deflectens Cenetam tendit?.. Trahebat sane TE nova dignitate auctam amor patriae, qua in rebus humanis nil jucundius esse puto: vocabat necessitudo illa, qua arctissime erga nostros et nostra obligamur; praestolabantur amici, tibi ad nos properanti valedicturi, et faustis ominibus prosecuturi: movebant lacrimae pueriles orphanorum tuorum; qui tibi obstricti memoria beneficii sempiterna, se a tam cari Patris amplexibus avulsos dolent, a quo,

fare ut dividerentur non sperabant, quamdiu anima superavissea tua. at Sponsae caritas praegrandem absorbuit caritatem. Vinculum enim istod amoris; quo dilectam prosequitur divinum quiddam est, caelesti ac ineffabili suavitate respersum, quo cum comparata terrena illa, quae dixi, parvi facienda esse merito existimavit. Alacriter igitur difficiles vias et asperrima montium juga superavit, Sabalpinamque hanc ditionem ingressus, terram hospitalem veluti Patriam salutavit.

Oh beatos populos, qui suavissimis Christianae Religionis vinculis continentur, quorum Praefecti, non dominationis ambitu abrepti subditos premere, sed paterno eos sibi studio obligare, pro eorumque salute caput in discrimen adducere, id demum imperare arbitrantur! Oh beatos Astenses, qui Pastoria vestri charitatis erga vos tam luculentam habetis significationem! Hinc enim vobis licet hodiernae laetitiae apem in certa futuri regiminis felicitate collocare. Exultate ergo, jure enim facitis. Deus exoratus luctum in gaudium convertit. Ecce enim Patrem vestrum, de quo tam saepius invicem percontabamini quando nam veniet? Ecce jam adest. Evasit certe, Secundi, Bernulphi ceterique sanctitate eminentes patres olim vestri, qui vota, quae feeistis Deo obtulerant, e caelis nunc aspicientes, huic vestro gaudio arrident. Ipsi, ipsi igitur testes sint hodier-

ni jurisjurandi, quo nos PHILIPPO eorum successori filialem observantiam, ipse paternam curam invicem promittimus, ut tam auspicatum nodum nefas sit abrumpere.

Nec, Antistes religiosissime, tibi in primis Ordo hic, senatus Ecclesiae tuae summam reverentiam, adjutricemque operam ad opus, ad quod Te posuit Spiritus S., ex animo pollicetur. In Te Collegium hoc insigne Canonicorum, Animarum Curatores, ceterque Clerus unum praecentem intuentes, summa contentione sequi paratos se exhibent. Tecum omnes Proceres et Magistratus, vel rei Militari, vel juri dicundo, vel rei Provinciae et Civitatis publicae administrandae praefecti, pro virili parte conniti studebunt, ut in hac Dioecesi Religio floreat, pax et tranquillitas non perturbentur. Filii demum tui universi, Te ut Patrem veneraturos, mandatisque tuis obsecuturos promittentes ex corde, tuam petimus benedictionem; Deoque O. M. gratias quanto majores possumus agentes, eum enixe rogamus, ut Patrem amantissimum, quem est largitus, diu nobis sospitem servet

ADNOTATIONES

Pag 3 Vindobonensium perpolitiores iterum accersiverint

Chiamato l'Eccellentissimo Prelato nella Quaresima del 1838 al pulpito Imperiale Italiano di Vienna, talmente soddisfatti ne rimasero i suoi colti uditori, che il richiesero per l'anno susseguente, ne ancor paghi, il vollero di nuovo udire nel 1839 E l'onorario che la facendosi per questua da una societa de' principali signori, dipende dal senso, che fa l'Oratore sull'uditorio, fu si copioso, che con esso il generoso Mitrato diede mano all'esecuzione del pio disegno di fondare in Patria un Ospizio pei poveri Orfanelli unendovi il risparmio delle sue fatiche scolastiche, ed apostoliche

Pag ibid, Verba ejus a Summo Pontifice etc

Nella Quaresima del 1855 predicando in Roma nella Chiesa di S Lorenzo in Damaso, desto tal fama di se, che nominato dal Capitolo di S Pietro ad Oratore per la Quaresima del 1860, lo stesso Sommo Pontefice con esempio affatto nuovo, mosso ad udirlo bramando ch'ei tornasse a predicare nella stessa Basilica Vaticana nella testè scorsa Quaresima, in cui invece fu consacrato nostro Vescovo, ed in prova della soddisfazione avutane, lo nominò suo Cameriere segreto, ed il volle seco nel viaggio che fece dopo la Pasqua 1850 da Roma a Terracina

V.° Teologo GENTILE.

V.° si permette la stampa:

Asti 12 aprile 1841.

BORIO f. v. di Prof. Revis. per la G.ª Canc.ª

Excellentissimi et Reverendissimi

D. D. EPISCOPI

Responsum

Quae mihi ex abundantia cordis illaborata hic fluunt benigno excipiatis animo precor. Tanta sunt, tamque eximia humanitatis et benevolentiae officia quibus vos me primum advenientem et excipere et cohonestare certatis, ut nihil optabilius nihil jucundius novo animarum pastori obvenire unquam posset. Quae vidi, quae audivi, quae me undique circumstant, et conspectus vester jucundissimus, Venerabiles Fratres, et disertus iste vestrum omnium interpres ac nuntius, et frequens hic gratissimusque omnium hujusce inclytae Civitatis ordinum conventus, et magnificentissimi hujus templi apparatus, et occursus et gratulationes et concentus et preces, haec omnia ea mihi exsuscitant grati animi motus, quos dignis exaequare verbis haud posse clare aperteque profiteor. Etsi vero ob tot mirae vestrae in me vo-

luntatis significationes summam animo capiam voluptatem, attamen infirmitatis meae mihi conscius, eisque dotibus me destitutum cognoscens, quas egregius Orator tanto styli nitore tantaque dicendi ubertate mihi tribuendas esse existimavit exclamare cogor: foris gaudium intus vero timor ingens, *exaltatus humiliatus sum et conturbatus.* Subit enim mihi mea virtus tanto huic muneri impar, praecipue aerumnosis istis in quibus versamur temporibus; subit exiguum in perardui hujus ministerii partibus ingenium, districta subit supremo omnium Pastori Christo Domino ratio reddenda judiciumque sustinendum, in quo *nec absidae gradatae nec Cathedrae velatae adhibebuntur ad defensionem*

Vae mihi si pontificalem gloriam honor tantum commendaret vestium non splendor animae! si altiorem quam meliorem esse delectaret! Tunc non praemium sed praecipitium expectandum. Faxit porro Deus ut quae Tu mihi, Orator egregie, auspicatus es omnimode adimplere valeam, ne unquam de tuis laudibus vel tibi dolendum vel mihi valde erubescendum sit. Profecto quantum in me est omnia libentissime impendam, quinimmo superimpendar ipse pro animabus mihi concreditis: hoc in animo fixum destinatumque habeo. Atque utinam qui dat mihi nunc velle det etiam in tempore perficere, ipse qui dat omnibus affluenter!

ut sit mihi virtus in fovendis virtutibus animas demulceus, in corrigendis vitiis pie saeviens, in tranquillitate severitatis censuram non deserens, qua nimism severitatem fugiam quae crudeliter damnaret salvandos, nimiamque laxitatem quae inaniter salvaret jam damnaturos. Interim vos, qui gandium et corona mea eritis, Venerabiles Fratres, auxiliariss mihi in pascendis Astensi grege manus praebete; siquidem magnum a vobis praesidium mihi spondere licet, quia multa est mihi fiducia apud vos, multa etiam gloriatio pro vobis. Ambulemus in domo Dei cum consensu. Una tantum oriatur inter nos contentio, una aemulatio, scilicet solliciti semper servare in omnibus unitatem spiritus in vinculo pacis. Simus omnes quasi cor unum et anima una. Tunc vestra erunt omnia quae habeo, mea erunt quae vos habetis. Quod ut contingat Deum totius consolationis enixis precibus obsecremus, ut unde nobis dignitas venit inde praesto sit auxilium. Ipse qui est verus luminis et sapientiae fons, suae supernae gratiae mittat in nos rorem matutinum et serotinum, ingressum instruat, progressum dirigat, egressum compleat. Adsit nobis auxiliatrix in hoc laetissimo suae Annuntiationis die Mater pulchrae dilectionis et agnitionis et sanctae spei, quam sequentes non deviamus, quam rogantes non desperamus, qua protegente non metuimus, deipara

Virgo, quae nec cogitari potest quin recreet, non nominari quin delectet, cui me, vos, meaque omnia peculiariter devovi et iterum solemniter voveo. Angeli tutelares hujus templi atque hujus Civitatis et totius Dioecesis nos protegant, omnesque caelites quorum arae et sacrae exuviae penes nos extant, ac prae ceteris incliti Patroni nostri Beatissimi Evasius et Secundus, ut eorum ope eorumque patrocinio omnia nobis prospere eveniant.

Surgam, et sponsabo mihi Astensem Ecclesiam. Domine Sabaoth, Legifer noster, Redemptor noster! Sine te nihil est validum, nihil sanctum. Tibi jam revelavi causam meam, o scrutator cordium. O qui mihi supplicandi praestas affectum, tribue etiam defensionis auxilium! Dexteram tuae majestatis extende. Dimitte quae conscientia metuit, adjice quod oratio non praesumit. Tu qui es pastor et Episcopus animarum nostrarum fac ut quae tibi sunt placita et videam et exequar. Quae sunt bona nutri, quae sunt nutrita custodi. Esto mihi in periculis lorica, in adversis galea, in prosperis sapientia, in varietatibus moderatio, in bonis constantia, in omnigena protectione clypeus sempiternus.

ASTI DALLA TIPOGRAFIA PILA

ERRATA					CORRIGE
Pag. 5	lin.	10	ud		id
»	»	»	12	Pontifice	Pontifex
»	6	»	2	Canciensis	Canciensis
»	10	»	6	filii sui	filii tui
»	11	»	26	militarentur	imitarentur
»	19	»	26	tuarum; qui	tuarum, qui
»	25	»	4	amoris; quo	amoris, quo